# REGULA FIDEI
## CANONIBUS ILLUSTRATA,

QUAM

*PRÆSIDE*

F. PAULO HENSEN

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI RECOLLECTORUM SS. THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET PATROLOGIÆ PROFESSORE P. ET O.

ERUDITORUM CRISI SUBJICIUNT,

F. ALBERTINUS PFERZWEY, *Sacerdos.*

F. ARCHANGELUS WOEBEL, *Subdiaconus.*

D. FRANCISCUS JAEGERS, *ex Calkum.*

SS. THEOLOGIÆ AUDITORES.

*In Aula Academica Dusseldorpiensi.*

Ad diem IV Septembris

ANNI MDCCLXXXVIII.

*Mane ab 8va usque ad 10mam.*

*DUSSELDORPII,*

TYPIS FRANCISCI FRIDERICI STAHL, AULÆ ET CANCELLARIÆ TYPOGRAPHI.

Brnt. 392 (2)
tsw

# Principium Generale.

*Illud omne & solum est de fide divina catholica, quod est revelatum in verbo Dei & propositum omnibus ab Ecclesia catholica, fide divina credendum.*

Duo itaque conjunctim ad fundandam fidei divinæ catholicæ doctrinam requiruntur: alterum, ut a Deo per prophetas, Apostolos, seu Authores canonicos sit revelata: alterum, ut sit ab Ecclesia proposita. Si alterutrum desit, seu propositio Ecclesiæ, seu revelatio, dogma fidei catholicæ esse nequit. Consonat hic Trid. sess. 6. in fine prœmii affirmans se non aliud *intendere*, quam *exponere omnibus Christi fidelibus veram, sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam sol Justitiæ Christus Jesus fidei nostræ auctor & consumator docuit, Apostoli tradiderunt, & Ecclesia catholica, spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit.*

## Canones de revelatione generatim sumta.

I. *Revelata propositione universali, revelatæ sunt quoque omnes particulares sub ea contentæ.* Veritas enim propositionis universalis cogitari nequit, nisi prædicatum singulis inferioribus conveniat, cum propositiones singulares secundum proprium & essentialem conceptum in universali contineantur. Hinc Con. Trid. sess. 5.

de

de peccato originali can. 4. ex eo *quod in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*, ſtatuit parvulos etiam peccaſſe in Adam. Porro cum ex divina revelatione omne concilium œcumenicum infallibilem habeat ſpiritus ſancti adſiſtentiam; recte concludo; ergo & Tridentinum habuit eandem ſpiritus ſancti adſistentiam: conſequentiam enimvero nemo negaverit, niſi qui ſupremam ipſius authoritatem unanimi Eccleſiæ ſenſu canonizatam in dubium revocare præſumſerit.

II. *Re quacunque revelata, ſimul formaliter revelantur ejus eſſentialia.* Cum enim res nec eſſe nec concipi ſine ſuis eſſentialibus poſſit, hinc niſi revelata re ſimul ejus eſſentialia eſſent revelata, jam idem formaliter eſſet revelatum & non eſſet revelatum, quod implicat. Sic in Synodo œcum. VI. Patres ex revelata natura divina & humana Chriſti contra Monothelitas definiverunt, duas voluntates eſſe in Chriſto, unam divinam, alteram humanam.

III. *Revelato alterutro relationis termino & alter revelatus cenſetur.* Relatio enim duobus terminis formaliter conſtat. e. g. *Chriſtus eſt Dei filius; habet ergo Deum patrem.*

IV. *Revelato alterutro membro contradictionis, & aliud negativum revelatum eſt*, id eſt hoc ipſo, quod veritas alicujus pro-

positionis sit revelata, simul & constat de falsitate propositionis contradictoriæ; simul enim consistere nequeunt: sic revelata sacramentalis confessionis ac satisfactionis necessitate: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* Joan. C. XX. *Convertimini ad me in toto corde vestro &c.* Joelis C. II. Conficitur contra Novatores heterodoxos, legem confitendi peccata jure humano non esse introductam: nec satisfactionem a pœnitente præstitam infinitæ Christi satisfactioni derogare aut injuriosam esse.

V. *Conclusio ex duabus præmissis formaliter & in se revelatis, est & implicite revelata:* „ Omnes Apostoli acceperunt Spiritum „ sanctum, Petrus erat Apostolus: ergo „ accepit Spiritum sanctum ".

VI *Quidquid non est revelatum, non est fidei dogma, licet foret ab ecclesia definitum.* Plures enim veritates ab Ecclesia determinantur, quin a fidelibus adsensum sub nota hæreseos exigat: quod & Concil. constant. innuit distinguens propositiones hæreticas, erroneas, sapientes hæresin.

Itaque nullum ex iis factis, quæ tempora Apostolorum subsequntur, fidei divinæ est. Nullæ revelationes hominibus factæ post tempora Apostolorum ad doctrinam fidei referendæ sunt, licet ab Ecclesia fuerint adprobatæ. Nullum miraculum, nulla doctrina miraculo confirmata post tempora Apostolorum fidem divinam catholicam meretur. *Ratio est*: quia non facta a Prophetis & Apos-

tolis, nec revelata; ſtultus tamen eſſet, qui promiscue omnibus fidem humanam aut certitudinem moralem denegaret.

*Canones de Revelatione in Scripturis contenta.*

I. Cum ratio formalis fidei divinæ ſit authoritas Dei revelantis; *omne illud ex libris divinis eſt objectum fidei divinæ, quod ceu doctrina revelata in iisdem refertur.* Sic cum revelatum ſit fidem ſine operibus mortuam eſſe juxta illud Jacobi C. II. v. 14. *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides ſalvare eum?* Jure Con. Trid. ſeſſ. VI. Can. IX. ita definivit: *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad ſatisfactionis gratiam conſequendam requiratur... Anathema ſit.*

II. *Quæcunque Authores ſacri ſpiritu ſancto impellente literis conſignarunt, ſunt fidei divinæ: etiam variæ ſcripturarum hiſtoriæ, facta, quorum adcuratam cognitionem vel a ſemetipſis, vel a teſtibus fide dignis hauſerunt, dummodo ad ea, quæ jam aliunde noverant, ſcribenda divinitus fuerint excitati.* Quis enim dixerit divinam non eſſe Moyſis in ſcribendo authoritatem, dum refert ægyptiacam ſervitutem, Iſraelitarum liberationem, miracula, quorum omnium

& oculatus teſtis & pars magna fuerat? idem ſentiendum de plurimis factis, quæ ſcribunt Matthæus, Joannes, Lucas, Marcus, aliique Authores ſacri, ad quæ referenda ipſis nova revelatio proprie dicta minime neceſſaria erat, ſed divina duntaxat motio, qua ad ſcribendum impellerentur.

III. Cum ſcriptura ſacra ſit ceu depoſitum fidei divinæ Eccleſiæ a Chriſto concreditum; neque ſcriptores ſacri in quæſtionibus etiam ad ſalutem indifferentibus quid falſi immiſcuerint: hinc Eccleſia jus habet coercendi ingenia in quæstionibus doctrinam Chriſti licet non attingentibus, ut ſalva maneat Scripturæ Authoritas. Quare ſummo jure confodit opiniones ac ſententias evidenti ſcripturæ & dogmatum veritati contrarias. Revelatio enim ſiniſtris rationis judiciis præponderat, nec veritas veritati unquam contradicere poteſt.

IV. Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis minime ſcientiarum profanarum notitiam ſuggeſſit; æternam vero omnium ſalutem anhelabat, cum doctrinam religionis chriſtianæ per totum terrarum orbem diſſeminandam inculcaret iisdem. Quocirca exorbitat, quisquis res ſcripturæ inſertas mere ad ſcientias profanas, phyſicam, aſtronomiam pertinentes fide divina credendas contendit.

Cano

## *Canones de interpretatione ejusdem.*

I. Cum Scriptura sacra non sufficiat ad omnes de fide concertationes dirimendas, perpetuus pariter esset discordiarum fomes, si cuilibet privato liceret, dogmata fidei scripturæ involuta decretorio judicio determinare: hinc Christus Dominus Ecclesiam suprema ac judiciaria Authoritate instruxit, qua sub fidei certitudine fideles edoceantur, quisnam sit genuinus scripturæ sensus, quibus in locis sub exteriori verborum cortice altissima fidei Mysteria delitescant.

II. *Omnis doctrina ad religionem pertinens, quæ ex scriptura sacra per interpretationem certam deducitur, ad fidem divinam pertinet.* Sic aperto scripturarum testimonio evincitur, *Ecclesiam a Christo fundatam columnam esse & fundamentum veritatis.*

III. *Ut fidei divinæ & catholicæ articulus citra omne erroris periculum certo scripturæ sensui superstruatur, Traditionem, ad quam ceu lapidem lydium decidenda juxta scripturam dogmata Ecclesia probare solet, eidem suffragari necessum est.* Dogmata enim fidei nutare nequeunt.

IV. Cum Sensus mysticos quandoque pro suo quisque ingenio ac pietate cudat, & quo jure ab uno excogitantur, eodem ab altero contemni possint: rectè

Aug-

Auguſtin. *Quis non imprudentiſſimè nitatur aliquid in allegoria poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat & manifeſta teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura* (Ep. 93. ad Vincentium Donatiſtam) quare ut ſenſus myſticus firmiſſimum ad veritatem divinam catholicam comprobandam argumentum ſubminiſtret; aut ab Eccleſia proponatur, aut eliquata ſcripturæ vel traditionis nitatur authoritate, aut ex ipſa Textus ſacri ſerie certo colligatur. Quis enimvero eo in caſu adhuc de ſenſus myſtici energia dubitare auſit.

## *Canones de Verbo Dei tradito.*

I. Cum Eccleſia non ex ſcriptura duntaxat, ſed & traditione dogmata fidei fidelibus credenda proponat: unanimi ore omnes catholici eam traditionum divinarum judicem profitentur. Suppetunt ergo indubitatæ regulæ, quarum adminiculo traditiones veræ a ſpuriis diſcerni queant. Hæ regulæ vocantur traditionum caracteres, quorum alii *negativi*, alii *poſitivi*. *Negativi*, ſi interveniant, colligitur, non adeſſe traditionem divinam. *Poſitivi* ſi adſint, jure infertur, Traditionem divinam ſubeſſe.

Ca-

Caracteres negativi ſunt ſequentes.

I. *Traditio quæcunque, ſi S. Scripturæ manifeſte contrarietur, non eſt divina.* Deus enim oppoſita revelare nequit.

II. *Traditio contraria traditioni certo divinæ pariter non eſt divina:* ex eadem ratione.

III. *Omnis traditio communi patrum ſenſui & Eccleſiæ definitioni repugnans rurſus divinam non habet originem:* Eccleſia enim vi promiſſionum divinarum errori non eſt obnoxia: Patres autem ſunt Teſtes Traditionis divinæ, quos ſequitur Eccleſia: unde eadem naſceretur oppoſitio.

IV. *Traditio cujus origo temporibus Apoſtolorum poſterior, divina non eſt:* Eccleſia enim non recipit novas revelationes, cum Chriſtus & Spiritus ſanctus Apoſtolos docuerint omnia ad ſalutem animarum & regimen Eccleſiæ neceſſaria.

V. *Traditio, circa quam Eccleſiæ inſignes æqualiter ſunt diviſæ, non eſt certo divina.* Teſtimonia enim æqualia ſe mutuo elidunt: nec ſupereſt criterium de certitudine facti, Si adſint Teſtimonia æqualia omnino, judicandi.

Poſitivi.

I. *Quando univerſa Eccleſia ſervat aliquid tanquam ad fidem, religionem & mores pertinens, cujus inſtitutio poteſtatem humanam*

ex-

*excedit, quod in ſ. litteris non invenitur, certo credendum eſt, illud ex Traditione divinæ haberi.* Quî enim fieri potuiſſet, ut disfuſi per orbem Chriſtiani, qui nullam habent inter ſe conſiliorum ſocietatem, qui non minus moribus, ingeniis, uſibus, quam regionibus a ſe divaricantur; in iis tamen rebus, quæ fidem, mores ac religionem concernunt, idem omnino docerent, idem ſervarent; niſi hoc accepiſſent ab uno eodemque Magiſtro, qui diſcipulos ac unius fidei præcones per totum terrarum orbem miſiſſet, iisdem ac paribus præceptis inſtructos, atque eadem univerſis adnuntiare juſſos.

II. *Ut quid judicetur ſemper, ubique & ab omnibus creditum fuiſſe, non eſt neceſſarium, ut omnes omnino particulares Eccleſiæ mathematice vel phyſice conveniant, ſed ſufficit moralis Eccleſiarum conſenſus earumque illuſtrium; unde ſi hæ conſpirent in dogmate aliquo referendo, quod ex ſcriptura erui nequit, certiſſimè tenendum eſt, illud ex Traditione divina profluere.* Ratio eſt: quia Eccleſia vi promiſſionum divinarum ſemper debet eſſe conſpicua & ubique disfuſa, nec unquam deficere poteſt: ergo ſi major & illuſtrior pars Eccleſiæ aliquid teneat ut revelatum, id certo ut revelatum tenendum eſt; alias ipſa periret eccleſiæ catholicitas.

III. *Unanimis ſenſus & praxis uniformis Eccleſiæ* IV. & V. *Sæculi, quin hujus*

*praxeos sciatur initium ex institutione Ecclesiæ aut concilii, certum signum est, semper & ubique creditum fuisse ante sæculum* IV. & V. *ut revelatum, quod tum credebatur.* Incredibile enim est sæculo IV. & V. universalem veteris ecclesiæ traditionem jam fuisse corruptam, præsertim cum eo tempore ecclesia sanctitate, doctrina, morumque integritate floreret. Fingendum esset, providentiam Dei nullo modo ecclesiæ suæ consuluisse, si jam aureis illis sæculis fides labefactata fuisset.

Insignis usus hujus canonis est contra Protestantes & Socinianos quoad dogmata fundamentalia religionis S. *Incarnationis, Trinitatis, Invocationis Sanctorum, Cultus Reliquiarum, Orationis pro Defunctis. &c.*

IV. *Quidquid Ecclesia vel in concilio universali definit tanquam dogma fidei aut morum, aut etiam extra concilium generale universaliter profitetur; id si ex scriptura vel plane non, vel saltem non sufficienter probari possit, est traditionis divinæ.* Nullum quippe est fidei dogma, quod non fuerit vel ex scriptura vel traditione depromptum. Itaque si dogma illud non sit in sacris litteris expressum, superest, ut per traditionem divinam fuerit in ecclesia adservatum.

V. *Si quid universa servat ecclesia, quod in ea omnibus retro temporibus servatum fuisse comperitur, institutio autem ejus authoritatem humanam non excedat, si origo ejus*

*deprehendi non possit, merito creditur, ab Apostolis fuisse institutum; si vero sursum ascendentes, originem temporibus Apostolorum posteriorem inveniamus, non est nisi traditio ecclesiastica.* Prima hujus regulæ pars constat ex August. lib. 2. de baptis. contra Donatist. cap. 7. « *Quod universa tenet* « *Ecclesia, nec conciliis institutum, sed sem-* « *per retentum est, non nisi authoritate* « *Apostolica traditum rectissime creditur.* » Altera hujus regulæ pars cuilibet manifesta est, eo quod per multa, præsertim quæ disciplinam ritus & mores spectant, ab Ecclesiis huc usque fuerint constituta.

*Scholion.* Præter singularem Dei providentiam, qua doctrinas christianas usque ad consummationem sæculi incorruptas conservabit: varia adhuc media conservandarum traditionum divinarum notari possunt: 1) *Continua Pastorum successio & instructio.* Si enim certæ personæ sunt deputatæ ad doctrinam ex professo propagandam, sane aptissimum habetur medium veritatis alicujus transmittendæ. 2) *Scripta Patrum, Conciliorum Canones, & libri historiarum*, in quibus traditiones primum oretenus prolatæ, nec sacris litteris comprehensæ, postmodum vel ad fideles docendos, vel ad revellendos hæreticos, vel ad fidem illustrandam aut conservandam felicius, consignatæ fuerunt &c.

## *Canones de Propositione verbi divini.*

I. *Propositio Ecclesiæ debet esse determinata.* Cum enim dogmata fidei fidelibus per

ecclesiam subministranda sint; quamdiu sufficiens & positivus de existentia alicujus dogmatis ab Ecclesia non fuerit facta determinatio: salva fidei unitate adsensum suspendere licebit: ut igitur nobis certo constet & fide divina credendum sit existere aliquod dogma, aut aliquid cum eo connexum, aut sub illo comprehensum, necessum est, illud positive determinatum esse.

II. *Debet esse clara.* Plures nimirum propositioni, quæ dogma enuntiat, sensus subesse possunt; variæ proin hic locum habere possunt interpretationes, propter quas quidem inter se variantes fides circa sensum propositionis in incerto fluctuabit, donec judiciaria Ecclesiæ Authoritate sensus dogmatis in plenam lucem constituatur; alias ipse ad dogma non pertinebit.

Itaque in definitionibus Ecclesiæ nihil est de fide, nisi quod in sensu obvio exprimitur. E. g. *indulgentias populo fideli utiles esse ac salutares*, quin propterea dogma fidei catholicæ sit indulgentiis remitti pœnas temporales debitas post peccatum remissum in foro Dei, sive in purgatorio, sive in hac vita.

Nulla doctrina fundata in verbo Dei, diversimode exposita a sanctis Patribus est doctrina fidei. Idque ex duplici defectu: primo, quia non constat talem doctrinam esse revelatam: actus autem fidei sine certitudine revelationis subsistere nequit. 2do, non proponitur ab universali Ecclesia, hoc ipso, quod varie a variis exponatur.

III. *Sit certa.* Cum enim ab ecclesia etiam universa quædam veritates admittantur firmiter credendæ, quin tamen in censum dogmatum divinorum, quibus sub fidei divinæ jactura adsentiendum sit, ab ipsa referantur: ipsa sua propositione illas veritates, quibus refragari filiis licet, ab illis, quibus non licet, illas quoque, quibus sub nota hæreseos contradicitur, ab aliis, quibus inferior censura adnectitur, discernere debet, si velit, & ut possit fideles obligare ad dogmata quædam ceu fide divina necessario credenda, ut ergo veritas aliqua sit fidei catholicæ articulus, propositio ecclesiæ id certo simul declarare debet. Conf. Veronius §. 4. n. 16. ubi ex Bellarmino L. 2. de concil. c. 17. ait: ut sit aliquid de fide, oportet concilium rem eam definivisse proprie ut decretum catholica fide tenendum. Sic hæretici non sunt, qui sentiunt, Pontificem non esse supra omnia concilia, licet Lateranense ultimum concilium sub Leone X. diserte docuerit, Pontificem esse supra omnia Concilia.

IV. *Quæ in conciliorum decretis inseruntur vel rei explicandæ, vel objectionum dissolvendarum gratia, vel obiter, ac præter propositæ controversiæ institutum attinguntur,* singula non sunt catholicæ fidei judicia. « Solent quidem obfirmatæ ejusmodi lo-« quendi formulæ indicare, quam in par-

" tem ipsimet Patres magis inclinent,
" (ait Cl. Zallwein. To. I. q. 3. c. 4. §. 6.)
" Itaque argumenta inde ad sententiam
" aliquam confirmandam deprompta,
" neutiquam certitudinem fidei, sed me-
" ram probabilitatem, nunc majorem,
" nunc minorem facere, censenda sunt. "

V. *Non omnia, quæ in capitibus conciliorum proferuntur, definitionis vim habent.* Licet enim Ecclesia in capitibus docere & definire possit, solet tamen expressos subnectere canones, queis sensus Ecclesiæ exprimatur. Dein eorum, quæ concilia tradunt in capitibus, alia ad dogmatis uberiorem explicationem, aut etiam probationem non semper usque quaque firmam dicuntur.

VI. *Nullæ decretales romanorum Pontificum in corpore juris canonici contentæ fundando fidei catholicæ articulo sufficiunt*; seu nulla doctrina quatenus in istis decretalibus aut diplomatibus continetur, est doctrina fidei. Sic enim non proponitur ab Ecclesia universali.

*Canones circa Ecclesiam congregatam universalem.*

Positivi.

Omne & *solum illud est concilium œcumenicum, quod ab universa Ecclesia tanquam generale fuit recognitum & acceptatum.* In-

concussam talis concilii Authoritatem agnovit S. Augustinus, qui lib. II. contra Donatistas cap. IV. scribit: *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere* (non repetendum esse baptismum ab hæreticis collatum) *nisi universæ Ecclesiæ concordissimæ authoritate firmati; cui & ipse* (Cyprianus) *sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium concilium solidaretur.* Porro ad dignoscendam Concilii alicujus œcumenicitatem hanc universæ Ecclesiæ acceptationem adeo necessariam esse censemus, ut non sufficiat, quod ipsum concilium declaret se generalem esse, ac universam ecclesiam repræsentare: eo quidem ex capite, quod ejuscemodi declarationem edere queat & concilium œcumenicum & non œcumenicum. Declaravit hoc de se Concilium Basileense; at propterea tamen non omnis sublata est de hujus œcumenicitate controversia ac difficultas. Nimirum declaratio hujuscemodi per se non est decretum fidei catholicæ, sed testimonium, quod de se ipsis perhibent Concilia. Ac proinde majorem vim non habet, quam aliunde habent concilia istud de semet ipsis testimonium perhibentia.

II *Concilia non nisi eatenus & quidem vel ex toto, vel ex parte constituunt regulam fidei, quatenus sunt ab universa ecclesia admissa: pariter canones lati in conciliis eo duntaxat*

in

*in sensu spectant ad fidem, quo sunt unanimi Ecclesiæ sensu recepti.* Omnis enim conciliorum aut canonum Authoritas irrefragabilis singulos fideles sub nota hæreseos ad fidei adsensum obligandi ab Ecclesiæ acceptatione dependet.

III. *Quamprimum constat, Concilium aliquod fuisse ab universa ecclesia acceptatum, summa cum reverentia a singulis recipiendum est*; nec ulla de puritate doctrinæ a tali concilio propositæ dubitandi ratio locum habere potest, quoniam promissio Christi Ecclesiæ adsistendi est illimitata & absoluta, contra quam machinatio nulla, nulla aularum politia, nulla Episcoporum negligentia prævalere potest.

Negativi.

I. *Quamdiu illustriores Ecclesiæ de concilii alicujus legitimitate inter se disceptant, tunc nondum habet valorem irrefragabilem, donec plane rata sit Concilii œcumenicitas.* Exemplum est in concilio generali V. cui permultæ occidentis Ecclesiæ non ex dubio juris, sed facti restiterunt, dum tandem explorata synodi hujus Authoritate licitum non amplius fuit ipsi obluctari.

II. *Concilia particularia, licet adprobata a Pontifice nondum sunt fidei regula.* Dogmata enim fidei determinantur sensu ac decretorio totius Ecclesiæ judicio, quam concilia particularia etiam a Pontifice confirmata minime repræsentant. Hinc Cl.

Zallw. (to. I. juris eccles. p. 3. c. 5. §. 6.)
" *dicamus paucis, inquit, exconcentratione*
" *Ecclesiæ universalis, ac pontificis ex adcu-*
" *mulatione acceptionis ejusdem Ecclesiæ uni-*
" *versalis, ac Confirmationis Pontificiæ, de-*
" *finitionibus synodorum particularium ulti-*
" *mum supremæ authoritatis pondus accedere*,,

## *Canones circa Ecclesiam dispersam.*

I. *Consensus Ecclesiarum in rebus fidei ac morum certus & catholicus est infallibile atque indubium dogmatis principium, sive expressus sit, sive tacitus*: Christus enim cum Apostolis eorumque successoribus promisit, fore, ut cum illis docentibus sit usque ad consummationem sæculi, & spiritus sanctus eos doceat omnem veritatem (Matth. Cap. 28. v. 20. Joan. 16. 13.) privilegium infallibilitatis non certo cuidam loco adfixit, in quo pastores Ecclesiæ congregari oporteret ad controversias dirimendas, ac dogmata fidei morumque statuminanda: sed ecclesiam, quæ per Pastores sedibus suis adfixos repræsentatur, dono inerrantiæ instruxit, ne portæ inferi unquam adversus ipsam prævalerent (Matth. 16. 18) Enimvero hoc, nec alio fere argumento veteres fidei nostræ agonotheræ plerique omnes debellare satagerunt hæreticos: non adlegabant

gabant Synodos, ſed univerſalis eccleſiæ ubique terrarum ac gentium conſentientis doctrinam, quæ ab iis inſtar œcumenicæ Synodi habebatur: adeo, ut ipſa Nizæna ſynodus nihil aliud, tanquam peremptorium obtendendum eſſe putaret, niſi hoc *Eccleſia catholica credit.*

*Scholion.* I. Huic Eccleſiarum conſenſui in rebus fidei ac morum nihil officit, licet pauciſſimi eidem refragentur. Cum enim ſingali erroris periculo ſubjaceant, vix ac ne vix quidem omnes quodquod ubique ſunt, Eccleſiarum Præſules (ne uno aut paucis quidem exceptis) ab eodem ſpiritu ſancto Eccleſiam dirigente ſe ſe regi permittent; cum nonnulli ſuperba proprii judicii abundantia abrepti opiniones ſuas communi omnium aliorum ſententiæ præfracte anteferre nitantur. At horum faſtus & inſolentia minime movit Eccleſiæ Paſtores univerſos aut in œcumenicis conciliis congregatos, aut per orbem terrarum diſperſos. Pauci vero ipſa ſua ſolitudine oſtendunt, ſe de Eccleſia aut non eſſe, aut ab ea diſſentire.

*Scholion.* II. Diximus: *tacito etiam Eccleſiarum conſenſui robur ineſſe ad dogma comprobandum.* Epiſcopi enim catholici cum inter ſe, tum cum capite ſuo Romano Pontifice ſacro vinculo in ejusdem fidei & doctrinæ catholicæ profeſſione colligantur. Ergo ſi non reclament merito adprobare præſumuntur, quod fuerit à Romano Pontifice vel ab aliis pluribus Epiſcopis de fide vel moribus ſancitum; præcipue cum omnes ſub gra-

vis

vis peccati reatu, quantum possunt, ab Ecclesia Dei sibi a spiritu sancto concredita omnem errorem fidei ac moribus contrarium arcere teneantur.

II. *Ut consensus tacitus existat, sitque indubium veritatis principium, nulla alia Ecclesiæ circa doctrinam, quæ publice in ea defenditur ac practicatur, silentii ratio locum habeat, quam quod Episcopi in eam consentiant.* Hinc consensus Ecclesiæ catholicus tacitus præsumi nequit, si doctrina, quæ agitatur, est adiaphora, si Questiones mere philosophicas ac scholasticas concernat; hæ enim nec possunt, nec debent ab Ecclesia definiri: si quæstio a Pontifice vel Synodis particularibus decisa non sit cæteris Ecclesiis communicata, unde nec ab iis acceptata præsumi potest.

III. *Nihil magis insigne & oportunum ad demonstrandum universalis Ecclesiæ consensum, quam si ostendatur Ecclesiæ orientalis cum occidentali consensus.* Cum enim Ecclesiæ græcæ ab ipsis Apostolis, horumque immediatis successoribus maximam partem fundatæ institutionum, quas a Majoribus traditas acceperunt, fuerint semper tenacissimæ, ac propterea latinarum æmulæ; credibile non est, eas passuras fuisse, ut sibi a latinis obtruderentur dogmata antiquæ traditioni contraria: itaque, in quibus illæ nobiscum consentiunt

tiunt, est constans ac uniformis Ecclesiæ doctrina.

IV. *Consensus Ecclesiæ universalis colligitur ex Episcoporum ac Synodorum ab ipsis habitarum Sensu ac fide, ex libris symbolicis ac liturgicis*, in quibus jus credendorum, cultus Dei publici, atque morum christianorum tam internorum quam externorum regulæ, tum a synodis, tum extra synodos ab Episcopis descriptæ inveniuntur.

## *Theses Theologicæ.*

I. Ecclesia Christi adæquate sumpta est societas fidelium baptizatorum a Christo Domino instituta, tum internis fidei, spei & charitatis, tum externis communionis catholicæ, ejusdemque fidei professionis vinculis colligata, sub regimine legitimorum Pastorum, quorum primus est summus Pontifex Beati Petri successor.

II. Cum Christus Dominus Ecclesiam suam fundaverit, ut omnes gentes in unitatem fidei & unam veræ religionis societatem coirent; necessum est, eam notis quibusdam indubitatis & conspicuis esse consignatam, quibus ab hæreticorum & schismaticorum societatibus, quæ veræ Ecclesiæ titulo prorsus immerito gloriantur, facile discerni possit.

III. Notæ veræ Ecclesiæ Christi convenientes sunt: unitas, sanctitas, catholicitas, & apostolicitas.

IV. Itaque Ecclesia Romano-catholica his notis consignata est sola vera Christi Ecclesia.

V. Ad Ecclesiam Christi universalem ceu membra spectant non soli justi & probi, sed etiam mali ac improbi: non tamen hæretici manifesti, aut schismatici publici, aut excommunicati denuntiati, quantumvis articulos sic dictos fundamentales non destruere dicantur.

VI. Christus Dominus Apostolis suis, eorumque successoribus contulit potestatem condendi leges ad salutem animarum & regimen Ecclesiæ necessarias: unde gaudet ecclesia Christi jurisdictione sibi propria a civili & politica omnino discreta.

VII. Ecclesia Christi ex institutione sua est cœtus vere Hierarchicus.

VIII. Primatus summi Pontificis non est honoris tantum, sed & jurisdictionis.

IX. Hoc tamen primatu summi Pontificis non obstante & reliqui Episcopi jure divino consecuti sunt potestatem gubernandi suas Ecclesias, ita, ut Regimen

gimen Ecclesiæ Aristocratico - Monarchicum ex sua institutione sit.

X. Hinc quemadmodum jure divino S. Pontifex leges Ecclesiasticas ferre potest universales totam Ecclesiam obligantes : ita pariter Episcopi pro sua quisque diœcesi jure eodem divino leges ferunt.

O. S. C. S. M. E.

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimeters 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black